

huiusmodi patrum exemplis decentissime calcata in atritis animi gressibus ibat de virtute in virtutem; et in aemulando virtutes patrum, ipsos etiam patres, quorum se aemulatricem esse gaudebat, praecipua puritate affectuum, et praerogativa actionum transcendebat; haec tamen ille. Haec tamen interpretationem licet egregiam nunc omittens, utpote nostro instituto non inservientem, arbitror cum aliis interpretibus, per calcamenta Sponsum Virginis humilitatem designasse, cuius est, ad pedes aliorum semper procumbere, infimumque locum appetere: quod quia valde difficile est, ut non obscure indicavit d. Petrus (1. Petr. 5); nam ubi nostra vulgata legit: *omnes invicem humilitatem insinuate*: Graecus interpres transtulit: *humilitatem innodate*, seu alligat: quibus aperte ostendit, a deo difficile esse humilitatem conservare, ut nisi magna vigilantia retineatur, et quasi arctissimis nodis vincitur, facile elabatur. Sponsus ergo quasi admirans quam tenaciter beata Virgo humilitatem retinuerit, in ea verba prorupit: *quam pulchri sunt gressus tui in calcamentis filia principis*. Et quidem sicut ex calcamentis facile dignosci potest, an quis per luto inaccessit, vel non: nam cum quis per luto incidit, calcamenta eius luto necesse est inquinari: quia ergo inter omnes puras creaturas superbiae luto, nec aliterius cuiuspiam peccati macula fuit beata Virgo inquinata, ideo quasi admirans Sponsus inquit: *Quam pulchri sunt gressus tui in calcamentis*. Ut tamen haec Virginis humilitatem commendabiliorem redderet, quae tum in visitatione ad Elisabetham, tum in purificatione valde enituit, addidit consulo verba illa, *filia principis*: quia quanto quis nobilitas, illustrior, sapientior, et aliis animi ornamentis insignior, tanto magis eius humilitas difficilior, et admirabilior esse perhibetur. Quare sensus est: pulchri sane sunt, o Maria, gressus tui, tam in visitatione, quam in purificatione, calcamentaque tua id satis indicant, quae ingenuitatem ac nobilitatem tuam praedicant. Ut enim Philostratus refert, moris fuit apud antiquos in calcamentis nobilitatis insignia portare ex ebore confecta: et Seneca de Tiberio imperatore affirmat, auro et margaritis ornatos calceos solum fuisse gestare: et Cassiodorus refert, quod labente republica, patritii sericis calceis utebantur. Imo Homerus deam Maiam Mercurii genitricem a calcamentis inaesimabili pretio commendat: idque satis aperte confirmant verba Isaiae dicentis (c. 3): *In die illa auferet Dominus ornamentum calcamentorum, et tunikas*; quasi diceret, destruet Dominus in superbis foecibus eburnas lunas, quas in argumentum nobilitatis suae in calcamentis portant. Quam igitur beatissima Virgo summa, tam corporis, quam mentis nobilitate esset non solum conspicua, sed clarissima, in eo valde eius humilitas splenduit, quod nec ad beatam Elisabetham visitandam accedens, nec et inscrivere recusare, nec ad purificationis remedium pro puerperii sordibus sumendum, in templum venire, quae purissima erat, dedignaretur. Merito ergo Sponsus hos mirabiles Mariae gressus aspiciens dixit: *Quam pulchri sunt gressus tui in calcamentis, o filia principis*; vel

ut legunt Theodoretus, et multi Patres, *filia Nadab*: vel ut vertunt Hieronymus, Ambrosius, et Cassiodorus, *filia Aminadab*: quae duo, ut tradit Arias Montanus in suo apparatu, significat idem quod *spontaneus*. Quo etiam significatur, humilitatem Virginis non fuisse coactam, sed spontaneam; quod praesertim in purificatione ostendit, cum nulla illius praecipit obligatione cum cogente illius legi se laetissimi subiecerit.

Ad eundem, ut ad Virginis humilitatem sectandam animi vestri alliciantur, egregia quaedam, quae nos docuit Magnus Cancellarius parisiensis (*serm. in coena Domini consider. 1*), huius virtutis praeconia non puto ingratum vobis fore hic apponere: vocal in primis humilitatem principem, et reginam propter praecellens eius dominium: *Quantum igitur*, inquit, *est humilitatis dominium habere omnia sub pedibus per generosum contemptum, iuncta illud (Deut. 11): Omnis locus quem calcaverit pes vester, vester erit: quid maius, et quam lato imperium nihil aliud a Deo magni pendere, nullique alteri rei subieci? Adnotat deinde, imperio humilitatis, tanquam principii ac reginae, quaecumque humili accidit, inservire; adversa quidem ad exercitium et tutelam, prospera vero ad modestiam sobriamque consolationem: verba eius accipe: *Dicam amplius: militat pro ea sui hostes fortissimi; nam ea peccatis reditur cautior, formior, ac potentior. Imo vide miraculum: ipsa ex morte propria reviviscit saepius, fortiorque resurgit. Nam quis negat magnum esse humilitatis recuperandae rationem, humilitatem perdidisse? Quin etiam oritur ea suo contrario, quod est superbia, non minor miraculo, quam si frigiditatem calor gignat: humilitatis quippe non parva est occasio, animam contra Deum suum creatorem, et redemptorem superbiisse. Deinde ibidem tradit, humilitatem similem esse speculo concavo, in eius centro ununtur omnes radii divinarum illustrationum, quia humili copiosissime coelestia charismata communicantur. Ob quam causam, inquit ille, merito humilem appellari posse, abyssum sorbentem omnia viventium aquarum fluentia: imo et vacuum quoddam spirituale immensa capacitas, quod nulli honores, nullae dignitates, nullae opes implere illud sufficiunt, sed Deus solus, summum, et infinitum bonum. Aemulanti ergo, fratres, Mariae humilitatem: de qua divus Bernardus (*sermon. super Missus*) aurea illa verba dixit: *Quae est haec Virgo, tam venerabilis, ut salutetur ab angelis? tam humilis, ut desponsata sit fabro? pulchra permixtio virginitalis, et humilitatis. Audis virginem, audis humilem; si non potes virginitalitatem humilis, imitare humilitatem virginis; illa consulitur, ista praecipitur. Ad illam invitatis, ad istam cogitis. De illa dicitur: qui potest capere capiat; de ista dicitur: Nisi quis effugerit sicut parvulus iste, non intrabit in regnum colorum: illa ergo remuneratur, ista exigitur a Christo. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.***

## HOMILIA V.

*Prosequimur Mariae purificationis causas, novas alias adducentes, ob quas immaculata Virgo nullius mundationis indiga, legi illius se subiecerit; eam tamen causam copiosius illustramus, quae scandali vitandi curam tangit.*

Praeter omnes causas supra commemoratas, nonnullae aliae occurrunt observatione non indignae. Prima, ut humillima Maria singularitatem, quae species quaedam superbiae est, omnino fugeret. Singularitas enim finea est et aerugo virtutum; imo, ut ait David, immans bellua animam devastans (Ps. 79): *Singularis ferus depastus est eam*. Unde licet Origenes narret, Pomerio id referente, Zachariam pontificem constituisse beatam Virginem, cum venit in templum purificationis, gratia, inter virgines, et non inter nuptas; crediderim tamen cum doctissimo Canisio (*lib. 4. cap. 11*), Virginem, ut omnem illam vitaret singularitatem, contubernium vulgarium puerperarum, licet aliquo immundae, et abiectae essent, minime refugisse; sed una cum illis accessisse, munusculum suum obtulisse, nihil a se alienum putantem, quod ad legis ritum implendum, ad cultum Dei praestandum, et ad Ecclesiae ministerium honorandum, aliqua saltem ex parte pertineret. Secunda causa fuit, ut novis secreti sigillis magis ac magis obscuraret mysterium incarnationis, et sic diabolum prorsus lateret, et illum deluderet, cum enim videret beatam Virginem purificari, existimabat violatam esse, nullam prorsus curam habens explorandi eius virginitalitatem. Hanc rationem adducit Cassianus (*lib. 3. stellar. parte 1*): *Decebat, inquit, ut ad purificationis legem accederet propter confusionem diaboli, pro eo quod sic Christi divinitas, et beatae Mariae virginitas celebratur diabolo, ne humana redemptio impederetur ab ipso*. Tertia causa, quia ad templum accedentem purificationis gratia, opus erat varias exercere virtutes, quas exercendi occasione cum nancisci facile potuisset, noluit ulla ratione praeterire, quae nihil antiquius, et charius habebat, quam sanctis operibus vacare. Quam autem fuerit multiplex hoc virtutum exercitium, sanctus Thomas commemorat (*in serm. de purif. Mar.*), dum ait: *In isto evangelio possunt notari sex virtutes in beata Virgine: Humilitas in purificatione, cum non indigeret. Secundo amor puritatis in superabundanti purgatione, et ista duo, ibi (dies purgationis). Tertio reverentia ad filium in portatione, ibi (tulerunt). Quarto devotio in locorum visitatione, ibi (in Ierusalem). Quinto gratiarum actio in filii oblatione, ibi (tu susterent eum Domino), quia ibi Domine quem dedisti offerimus. Sexto puritas in oblatione, ibi (duos turtures), quae erat oblatio pauperum.*

Quarta causa fuit, quia beata Virgo agnovit divinam voluntatem esse, ut hominibus palam fieret ipsam Dei matrem esse, et ut dignitas haec tantae maternitatis inciperet iam evulga-

ri. Meminit huius causae Nicolaus Cassianus (*lib. 3. de purific.*), dum ait: *Hodie ipsam matrem forte in templo, sanctis collectantibus, publicari voluit. O quantum gaudere poterat, cum se matrem Dei agnosceret, quia Ambrosius dicit: hoc solum de sancta Maria Virgine praedicare, quod Dei Mater est, excedit omnem altitudinem, quae post Deum dici, vel cogitari potest; haec ille. De hoc nobis gaudio Augustinus (in sermone: *Adest nobis*) dicit sic: *Maria exultat, et matrem se lacto miratur, et de Spiritu sancto concepisse gaudet: et quia genuit eum exultatione, non cuiuslibet meriti hominem, sed totius mundi salvatorem.**

Quinta: voluit Deipara purificationis legem amplecti, ut quoad fieri posset, dilectissimo Filio suo se conformem exhiberet, eiusque exemplum imitaretur, qui octavo die circumcisions, legi minime obnoxius, eius gladium subire non recusavit. Unde divus Bernardus (*serm. de pur.*) dixit: *O beata Virgo Maria, vere tu non habes causam, nec tibi opus est purificatione. Sed numquid Filio tuo opus erat circumcisio? esto tamen inter multos tanquam una carum, nam et filius tuus sic exiit in medio puerorum.*

Sextam causam purificationis beatae Virginis putaverim fuisse, ne scandalum aliquod praeredit, si purificationis legem palam observare negligeret. Causam hanc, quia praecipuum arbitror, quae Deiparam movit, ut legi illi se subiecerit, et quia scandali vitandi doctrina valde utilis, ac per necessarium est, placet nobis hoc loco latius de illa disserere. Quod ut rectius praestemus, praeponenda sunt ante omnia verba divi Thomae (2. 2. quaest. 45. art. 1), ubi ait: *Quod graece scandalum dicitur, non offensionem, sed ruinationem, et impactionem potius possumus dicere: contingit enim, quod aliquando aliquis obex ponitur alicui in via corporali, cui impingens disponitur ad ruinationem, et talis obex dicitur scandalum; et similiter in processu viae spiritualis contingit aliquem disponi ad ruinationem spirituales per dictum, vel factum alterius, in quantum scilicet aliquis sua admonitione, inductione, aut exemplo alterum trahit ad peccandum; et hoc proprie dicitur scandalum: nihil autem secundum propriam rationem disponit ad spirituales ruinationem, nisi secundum quod habet aliquem defectum rectitudinis: quia id quod est perfecte rectum, magis movet hominem contra casum, quam ad ruinationem inducat; et ideo convenienter dicitur, quod dictum, vel factum, minus rectum praebens occasionem ruinae, sit scandalum; haec tamen d. Thomas.—Christus Dominus, quam grave scandala pariant detrimentum probe agnoscens, ut nos illa vitare suaderet, non dubitavit dicere: *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum; et si dextera manus tua scandalizat te, abscinde eam, et proice ea te*. Videtur sane, quod si hic manus, et oculus proprie sumantur, crudeliter, et impia sit assertio, cum nemini liceat violentas manus sibi inferens propria membra truncare. Quare ut locum hunc explicarent sancti Patres, in varias abierunt sententias. Divus Chrysostomus (*homil. 17*) ait: *Per oculum dexteram, et manum dexteram, significari mulierem amicum, quia paulo ante dixerat: qui viderit mulierem ad con-**

*cupiscendum eam, etc.* Auctor imperfecti (hom. 12) per oculum dexteram mentem, per sinistram corporis sensum: per manum dexteram voluntatem, per sinistram carnis appetitum interpretatur. Vult ergo, refracandas esse tam superiores quam inferiores animae virtutes. D. Augustinus (lib. 1. de serm. Christi), per oculum dexteram intelligit amicum, per manum dexteram coadiutorem et necessarium ministrum. Divus Hilarius (eom. 4), Anastasius (quaest. 73), Athanasius (quaest. 70), Cyrillus (lib. 12. in Ioann. c. 28), Salvianus (lib. 3. de providentia), Theophylactus (in c. 5. Matthaei), Pacianus (ep. 3. adversus Novatianos), tam per oculum, quam per manum dexteram eos omnes intelligunt, qui arctissima cognationis, aut familiaritatis coniunctione sint nobis devotissimi, quos debemus, dum nos a Deo alienant, longe abicere, iuxta illud (Deut. 13): *Si tibi voluerit persuadere frater tuus etc.* Maldonatus egregiam aliam viam ingressus inquit, elegantem esse hanc metaphoram ad exaggerandum necessitatem vitandi scandalum, quam a chyrurgorum arte, qui cum per unum membrum putridum, solum periclitatur corpus, illud continuo ab eo abscindunt, ut istud conservet: sic certe etiam quaecumque charissima longe nobis propulsanda sunt, ne nobis, vel aliis, spiritualis ruinae occasione praebent. Quia tamen manus, et oculi praecipue solent inservire his qui carnis concupiscentia animam pascere gaudent, ideo ab his membris exemplo allato monet membra omnia continere, omnesque occasiones, quibus ad prave agendum nos commovemur, vel alios commovemus, maximo etiam cum dolore, et proprio temporali detrimento rescare. Nec absurda, sed sapientissima sententia est, quia non vult, ut manus nobis ipsis ampuemus, aut oculos eramuus, sed quod, ut in exaggerationibus fieri solet exceptio, *si fieri possit, aut liceat, ut illud (ad Gal. 4): Testimonium enim perhibeo vobis, quoniam si fieri potuisset, oculos vestros eruissetis, et dedissetis mihi.* Magnitudinem peccati illorum, qui scandalum aliis praebent, exaggerat d. Paulus (ad Corint. 8.) cum enim quidam ab idololatriis carnes emerent, quia viliori pretio sibi vendebantur, licet aliquin per se licita erit emptio eorum ab idololatriis; quia tamen tunc multis erat scandali causa, existimantibus illos participes fieri sacrificiorum, et rituum quibus utebantur idololorum cultores, ideo acriter illos increpat his gravissimis verbis: *Si quis viderit eum, qui habet scientiam, in idolo, id est, templo idolorum, recumbentem, nonne conscientia eius, cum sit infirma, aedificabitur ad manducandum idolothesia, et peribit infirmus in sua scientia frater, propter quem Christus mortuus est? sic autem peccantes in fratres, et perculentes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis: in quem locum divus Chrysostomus primum observat verba illa, propter quem Christus mortuus est, quia videlicet qui scandalum praebet, destruit quantum est ex se opus Christi, quod ipse sua passione perfecit. Deinde observat verbum illud percutientes: non dixit scandalizantes, sed percutientes: etenim omni plaga gravior est scam-*

dalum, cum saepenumero moriem afferat; unde ipse Paulus, postquam multis probavit deberi ab auditoribus concionatori victim, subiunxit se iuri illi voluisse cedere, dicens (1. Corinth. 9): *Sed non usi sumus hoc potestate, sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum deus evangelio Christi. Non dixit eversionem, inquit Chrysostomus, sed offendiculum: neque simpliciter, sed aliquod offendiculum: et in eodem capite concludit Paulus, apostolica illa verba dicens: Quapropter si scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in aeternum, ne fratrem meum scandalizem.* Simili zelo aucto d. Paulum Eleazarum, cum rogaretur carnem porcina manducare contra divinam legem, vel saltem simulare se manducare illam, ne alioquin interfecteretur, constantissime ille, ne simili facto scandalum praeberebatur, qui putant illum divinam legem fuisse transgressum, et ad idola divertisse, renuit id facere dicens: *Non enim aetati nostrae dignum est fingere, ut multi adolescentium arbitantes Eleazarum novaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum, et ipsi propter meam simulationem, et propter modicum corruptibilis vitae tempus decipiuntur.* Sed et multis retro annis sedulam curam gessit vitandi scandali Booz: nam cum honorabilis illa vidua Ruth fatigata ex itinere, quadam nocte, iuxta aream illius, ubi frumentum triturabat remansisset, ipse monuit illam, ut summo mane rediret, ne quidquam scandali oriretur: unde sacer textus inquit (Ruth. 3): *Surrexit itaque ante quam homines se cognoscere mutuo: et dixit Booz: Cave ne dicas, quod huc veneris.* D. etiam Ioannes Apostolus hoc peccati genus tangens (in sua Apoc.) dixit: *Habeo adversus te pauca, quia habes illis tenentes scandalum coram filiis Israel, alere, et fornicari: ita habes et tu tenentes doctrinam Nicolaitarum.* Ecce reprehenditur hoc loco Pergami Episcopus propter Nicolaitas, quod scandalum aliis facerent, docentes licitam esse libidinem; quam ob causam Balaamo comparatur, qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israel. Nomen videtur quantum malum sit scandalum, cum Episcopus Pergami ex eo solum reprehendatur, quod scandalum dantes Nicolaitas ferret.

Equidem Dominus Deus noster adeo oportere iudicavit, omne scandalum, et ruinae occasionem de medio tollere, ut ipse ante Verbi divini incarnationem, et post illam, egregia huius exempla, ut id nos doceret, exhiberit: etenim (Psalm. 118) ubi David ait: *Speravit omnes discedentes a iudicis tuis, quia iniusta cogitatio eorum:* Aquila transtulit: *offendicula quaedam, et molestos lapides, et spinas ac tribulos de via tua, quam illi negligebant, abiiecit, ne ambulantes per eam servis tuis offensionem, et impedimento essent.* Deinde qui ignorat, Dominum specialem curam habuisse occultandi corpus Moysis, ut vitaret scandalum Hebraeorum, qui si agnoscerent locum ubi iacebat corpus Moysis, divinos honores et impendissent: nam qui rebus inanissimis illos dedecrant, multo magis eos dedidit Moysi, qui tot mirabilia inter ipsos patravat; maxime cum

ad idololatriam valde proni essent. Deinde cum a Christo Domino exigeretur tributum, convertens se ad Petrum interrogavit illum (Matth. 17): *Quid tibi videtur Simon? Reges terrae a quibus accipiunt tributum, vel censum? a filiis suis, an ab alienis? et ille respondit, ab alienis.* Dixit illi Iesus: *ergo liberi sunt filii. Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare, et mitte hamum, et cum piscem qui primus ascenderit, tolle: et aperto ore eius invenies statuerem: illum sumens, da eis pro me, et te.* Meminit ad hoc propositum huius loci d. Gregorius (homil. 7. in Ezech.) dum ait: *Aliquando cavendum est scandalum proximorum, aliquando negligendum: cavet Dominus quando iussit solvi didrachma, ne scandalum petentibus esset: cum autem dicit: Sinite; caeci sunt, et duces caecorum, scandalum negligetis. Igitur vitare debemus, cum sine peccato possumus; sed si de veritate nascitur, utilis scandalum nasci permittitur, quam quod veritas relinquitur: et ideo animalia plena sunt oculis, ut omnia caute circumspiciant.*

Porro ut perniciosissimum hoc scandali peccatum, per quod ad spirituales ruinas proximis via paratur, magis detestetur, severitatem divinae ultionis, quae Deus illud plectere solet, operae pretium erit ante oculos proponere, ut saltem timore poenae ab hoc genere peccati longe arcemur. In primis in Levitico legitur hanc fuisse poenam sacerdotis scandalum dantis (Levit. 4): *Si sacerdos peccaverit delinquere faciens populum, offeret pro peccato suo vitulum immaculatum Domino, et adducet illum ad ostium tabernaculi testimonii coram Domino: ponetque manum super caput eius, et immolabit eum Domino: super quae verba Nicolaus de Lyra ait, ponetque manum super vitulum, ad resignandum iuri quod habebat in vitulo, et ad ostendendum, quod sicut vitulus erat occidendus pro peccato suo, ita ipse offerens esset morte dignus pro transgressione praeepti Domini, nisi accepta esset eius oblatio ex misericordia Dei.* Hoc etiam faciunt verba illa Ieremiae (c. 1): *Visitabo sanguinem Iezrahel super domum Iehu; quae eapropter sunt difficilia, quia nullus profecto sanguis fuerat tunc iniuste effusus. Rufinus ea intelligit de homicidio spirituali per scandalum: Vindicari, ait, sanguinem Iezrahel, id est Achab interfecti in Iezrahel, quoniam peccati Iehu in eadem scelera inciderant, quae patrata fuerant ab Achab, et a posteris Ieroboam, qui peccare fecit Israel, et similiter idola coluerunt.* Facit ad hoc illud Ieremiae (c. 2): *In alis tuis inventus est sanguis innumerarum pauperum, et innocentium: exponit d. Hieronymus, quos idolis immolasti, sive quorum animas perdidisti sacrificiorum similitudine.* Est etiam ad idem egregius locus apud prophetam Sophoniam (c. 2): *Azotum in veritatem elicient: Azotum Hebraice, Asod vanitatem significat, sive ignem generationis, aut dilecti; et in ea homines intelliguntur, qui verbum, ut factis improbis alios laedunt, et perdunt, id est, scilicet illis sunt; hi enim merito ignis generationis dicuntur, quia hominibus, quos exemplo suo malo nocent, bona quae in illis sunt, instar ignis consumunt: et quia isti saepe, quos amant, gra-*

viter laedunt, recte etiam dicuntur ignis dilecti. Hortum igitur erit manifesta damnatio, quia quando sancti pingui recipient beatitudinis claritatem, in tenebras inominatissimas proiecerunt, omnibus videntibus et gaudentibus; et ideo ait (Num. 14): *Azotum in meridiam elicient.* Demum (Numerorum decimo quarto) legitur, Deum misera morte punisse exploratores illos, qui terrae promissionis detraherent, in scandalum fuerunt Israelitis; et (4. Regum) nemo ignorat Iezabalem, et Achab acriter punitos, eo quod scandalizaverunt, et turbaverunt Israel. Quam acerbis etiam supplicis affecerit Deus Ieroboam filium Naboth, et regem Israelis, eo quod exererit vitulos aureos, et peccare fecerit populum, sacra lib. 3. Regum hist. palam tradit. Quid de David dicam? in quem postquam adulterium et Deum pepercera, graviter animadvertit propter hoc genus peccati, ut, Naathan propheta his verbis ei dixit: *Dominus transtulit peccatum tuum, non morietis: verumtamen quoniam blasphemias fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius qui natus est tibi, morte morietur: et reversus est Nathan in domum suam. Percussit quoque Dominus parvulum quem peperat uxor Uriae.* Legite rursus in idem argumentum, quod (lib. Numer. cap. 31) habetur: *Nonne istae sunt quae deceperunt filios Israel ad suggestionem Balaam, et praeparaverunt eos fecerunt in Domino super peccato Phagor, unde et percussus est populus? Ergo cunctos interfecit, quidquid est generis masculini, etiam in parvulis. Quid plura? Ezechielim consulte in hanc modum loquentem (c. 14): *Quicumque scandalum iniquitatis suae staterit contra faciem suam, ponam faciem meam super hominem illum in exemplum, et in proverbium, et disperdam illum de medio populi mei.* Ad extremum satis notum omnibus arbitror poenam a Christo Domino praescriptam scandalizanti: *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo eius, et demergatur in profundum maris: in qua verba praecleara multa quae dixere Patres, hinc ascribere non gravabor.* Origenes (hom. 5. in Matth.) sic illa exponit: *Expedit, et quasi utile ad modum peccati, ut suspendatur mola asinaria ad callum eius, et demergatur in profundum maris; sic enim reddens dignam vindictam in mari, ubi et draco habetur quem formavit Deus ad illudendum ei, et sic quod expedit passus, qui punitus est, postea erit extra dolores, qui sunt in profundo maris, quos portulit tractus ad asinaria mola. Sunt autem et molarum differentiae, ut sint quaedam carum, ut sic appelletur, humanae, aeternae autem asinariae: humana quidem est illa, de qua scriptum est: *Duae erunt moles ad unam molam, una assumetur, et altera relinquetur.* Asinaria autem, quae imponitur scandalizanti unum de pusillis in Christum credentibus, ut demergatur in profundum maris. Asinaria autem mola non irrationaliter dici potest corpus gravissimum molae, onus, quod semper deorsum trahit; quod suscipit in resurrectione unusquisque peccator, ut demergatur in abyssum, quae dicitur profundum maris. Sanctus Hilarius Episcopus Pictaviensis (in eum. locum):**

Expedit ei, ut suspendatur mola asinaria, et demergatur in profundum maris: tot tantaeque res non otiose comparatae sunt: et mola, et asinaria, et cum ea in mari mergendus: et hoc ei expediens. Communi omnium sensu, quod expedit, utile est. Quid ergo utilitatis est mola asinaria collo suspensa demergi? Mors enim tam gravis proficiet ad poenam, et nescio, quomodo erit utile id expetere, quod ultimum sit malorum. Quid ergo sentire oporteat, quaerendum est. Molae opus labor est caecitatis: nam clausis iumentorum oculis, aguntur in gyrum: et sub asini quidem nomine frequenter gentes cognominatas reperimus; igitur gentes quod agunt, nesciunt, et in vitae suae opere detentae caeci laboris ignorantia continentur. Iudaei autem scientiae iter in lege praestatum est; qui si Christi Apostolos scandalizaverunt, rectius illigata collo mola asinaria demersi in mari fuerunt, id est, gentium labore depressi, in ignorantia saeculi demorantur, quia illis tolerabilis fuerit necesse Christum, quam istis prophetarum non receperit. S. Augustinus (serm. 1. in festo dedic. sancti Mich. ar.): Audistis fratres evangelium lectionem, aduersus eos qui pusillos scandalizant, satis terribiliter intonantem. Nemini blanditur veritas, neminem palpat, nullum seducit, aperte denuncians, quoniam vae homini illi per quem scandalum venit. Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille. Natus sane denovo, natus ad vitam, natus de spiritu, ut mirum carne postmodum consumatur. Expedit ei, si quis est qui scandalum suscitavit in hac domo, in hac sancta Deo placita, et angelis eius, admodum grata ac familiari congregatione, ut suspendatur in collo eius mola asinaria; et pro suavi iugo, et leui onere Salvatoris, graeci mole terrenae cupiditatis humeris eius imposita, demergatur in profundum maris huius magni, et spatiosi, quod est sine dubio saeculum nequam: minus enim damnabile erat ei in saeculo magis perire, quam in monasterio: perire siquidem necesse est hominem qui charitatem non habet, etiam si tradiderit corpus suum ita ut ardeat.

Saneus Ambrosius (in festo ded. sancti Mich. arch.) ait: Quid autem hic scribit evangelica lectio? qui scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo eius, et demergatur in profundum maris: pusillos hic, non aetate pueros, sed malitia parvulos dicit, sicut Apostolus ait: malitia parvuli estote, ut sensibus perfecti sitis. Qui sunt isti, nisi clerici idonei, et monachi religiosi, vel laici? Quisquis igitur his irreverens, aut contumeliosus extiterit, hoc velut poena plectetur: ut informi sazo religio illi ad collum praecipitur in mare. Sed videamus cur scandalizantibus christianis ista poena data sit, aut quid sibi velit ipsa sententia: puto enim illam aliquod mysterium continere, quasi vero non sufficeret in mare homini demergendo, sazum qualecumque non magnum, aut enorme, sed molae asinariae lapis ei religetur ad collum, et ut cum perituro homine percat res usui necessaria. Sed puto hoc esse magis, quod in Scripturis asini figura populus gentilium nuncupatur; qui clausis oculis circa ignorantiam, niela erroris sui gyro pertrahitur, et in illa

cursum directione vestigis saepe redeuntibus inventus usui laborat alieno. Nonne enim ibi videtur molam asinariam volvere gentilis populus, quamdiu imperitiae suae labore versatur? Naturae quidem incivilitas alligatus ut verbum Dei notat, Deum caeli quaerat; sed operatae mentis caecitate suffusus, ut vultus animi erigere ad Deum, cordis oculos lecare non possit ad caelum. Sed quoniam mola asinaria sazum esse constat, videamus, et si paganorum talis est mola, talis plane est. Sazi enim mola est, paganorum Iupiter, Herculesque lapideus, circa quos caecis oculis frequenti errore circumvent: caecos inquam dixerim eorum oculos, qui putant se videre, quod non vident: aspicientes enim sazum, Deum se videre constringunt. Altamen qui molam volvit, consumendi aliquem finem operis habet: exundi spe gerit laboris. Cui vero mola asinaria ad collum suspenditur, portat lapidem, qui portare iugum Domini recusavit. Asinus ergo ad molam, caecus ad lapidem, gentilis ad sazum, qui adorat eum, quem non vidit, nec agnoscit: Deus enim non in manufactis habitat, nec in metallo, aut sazo agnoscitur. Hic ergo gentilis populus, cum persecutionem christiano intulerit, hac poena plectetur, ut cum sua sacrilega mola iudicandis saeculi fluctibus demergatur. Eusebius Emissenus (in festo dedic. s. Mich. arch.) ait: Melius est enim occidi, quam occidere: qui enim occiditur, non ideo beatitudine privatur, legimus enim quosdam sanctorum martyrum lapidibus collo ligatis in profundum maris fuisse demersos; non ideo tamen eos credimus esse beatitudine privatos, quia priusquam illi, qui aliquem scandalizant. Melius est igitur homini, ut in corpore occidatur, quam ut in fide aliquem scandalizet. Divus Bonaventura (in expos. euan. sup. cap. 17. Luc.): Utilius est illi, inquit, si lapis molaris imponatur circa collum eius, et proiciatur in mare. Secundum ritum provinciarum loquitur, ubi erat ista poena criminum, ut ligato sazo in profundum demergeretur. Hoc inquam dicit utilis, quam ut unum scandalizant de pusillis istis: quia longe minor est ista, quam illa, quam scandalizando proximum meretur. Unde Beda (in Glossa hu. loci): Vere utilis innoxium gravissima poena vitam finire, quam laedendo fratrem, mortem mereri brevementem: et iterum: Utilius est enim pro culpa peccatum recipere poenam, quam aeternum cruciatum reservari. Ratio autem quare tanta poena debeat scandalizantibus, est, quia auferit Christum illud quod amat maxime, scilicet animam, secundum illud: Tuus sunt Domine omnia, qui amas animas. Unde et Apostolus: perit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est? Et sequitur: Sic autem peccantes in fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. Alia ratio est, quia sicut operibus aedificationis magna debetur poena: quae pacis sunt, setetur; et quae aedificationis sunt, invicem custodiamus. Noli propter eam destruere opus Dei. Tertia ratio est, quia sicut magna crudelitas est affligere agrotautes, sic magna percussitas est seducere simplices: propter quod dicitur: Nec coram caeco ponas offendiculum: et ideo signanter dicit: Unus de pusillis istis. Quarta ratio: quia scandalizans

obligatur non solum ad reddendam animam suam, verum etiam animam scandalizatum. Si quis aperuerit cisternam, et non operuerit eam, cecideritque bos, aut asinus in eam, reddat Dominus cisternae pretium iumentorum. Est autem hoc peccatum grave in omnibus, sed maxime in his, quorum vita trahitur in exemplum, sicut sunt praelati, sicut magni clerici, sicut etiam viri religiosi et famosi: unde dicitur: Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirunt ex ore eius: sequitur: eos autem recessit de via, et scandalizastis plurimos in lege, irritum fecistis pactum Levi; haec d. Bonaventura.

Illud tamen persuasum sibi habere velim praelatos, et principes, quae huc usque diximus de cura vitandi scandali, et de poena divinitus infligenda ponentibus illud, praecipue ad illos spectare: nam ut recte dixit Iuvenalis:

Omne animi vitium tanto conspectius in se Crimen habet, quanto maior qui peccat, habet:

Cuius rei egregiam dedit rationem Claudianus:

Componitur orbis Regis ad exemplum, nec sic inlectere sensus Humanos elites valent, quam vita regentis. Mobile mutatur semper cum principe vulgus.

Sed melius illis propheta Isaias: nam ubi nostra vulgata legit: principes tui infideles: alia translatio habet, principes tui putridi: sicut enim putrido capite piscis, continuo totum corpus putrescit, et factore incipit; ita putrido capite reipublicae, membra etiam illius ut in plurimum putredinem illam contrahunt: unde sicut exemplari apud typographos vitia, omnes deinde libri, qui per illud excuduntur, vitia prodeunt; ita cum principis exemplum subditi facile sequantur, minus certe principis vitium totius fit populi offendiculum et gravis lactura. Non semel ego dixi quod plebeis homo peccans velut cadaver est, quod statim sepulture mandatur, et a nemine observatur, nec videtur; praelatus autem, vel principes peccans permixtus est cadaveri insepolito, et ex patibulo pendenti, quod aera inficit, et quandoque pestem generat. Hinc est quod Plato (lib. de republ.) non admittebat Homeri libros, propterea quod tales Deos ac Deas fingebat, quales nemo probus filios ac filias suas esse vellet: agnoscebat quidem nihil nocentius prae exemplis principum, quia praestantia diguitatis suae res foedas atque indignas quodammodo nobilitant, ac decorant. Ad hoc respiciens d. Augustinus (de Fast.) dixit: Omnis, qui in conspectu eorum quibus praepositus est, male vivit, quantum in ipso est, omnes occidit, et forte qui imitatur, moritur, qui non imitatur, vivit; tamen quantum ad illum pertinet, amos occidit. Similia sunt his quae divus Gregorius (in cura past. 23. c. 5) his verbis dixit: Tentis moribus praelatus dignus est, quantis subditis scandalum praebet suo malo exemplo.

Illud demum in hoc genere argumenti dicere non parcam, quod quando contingit sa-

cerdotem, monachum, praelatum, aut pium aliquem virum sacris confessionibus, et communionibus assuetum in gravi aliquo delicto deprehendi, permulsi adeo praecipites feruntur, ut eandem opinionem de aliis probis hominibus concipiant: quod quam sit temerarium, vel hoc uno argumento colligi potest, si femina aliqua bonae famae in adulterii crimine deprehensa sit, num omnes aliam similibus crimine maculatas iudicare licebit? quis nisi fatuus, aut sceleratissimus tantum nefas effudit audebit. Refert Ludovicus Gratianensis in sua sylva, quod tempore d. Augustini monachus quidam monasterii eius in crimine quodam pudice deprehensus est: d. autem Augustinus contra scandalum populi illa peroravit: Dicite mihi, num domus mea melior, quam arca Noe, in qua ex tribus eius filius unus nequam deprehensus est? Num melior, quam domus Iacob, in qua ex duodecim fratribus solus Ioseph innocens fuit? Num melior, quam domus Isaac, in qua ex duobus fratribus, alter eligitur a Domino, alter reprobat? Num melior, quam domus Christi, in qua ex duodecim electis Apostolis unus proditor effectus est? num melior, quam septem diaconorum ab Apostolis electorum collegii, quorum Nicolaus haeresiarca extitit? Num melior, quam ipsius coelum, ex quo tot angeli ceciderunt? Et quam paradisum, a quo duo generis humani parentes, in gratia conditi, ab eodem loco propter peccatum eiecti sunt; haec d. Augustinus.

Ceterum ad beatissimum Virginem, cuius occasione doctrinam hanc de vitando scandalo tradidimus, redeunte, apte satis mihi videtur Sponsus illam compassae turri, ex qua mille scuta pendebant ad eius defensionem (Cant. 4): Sicut turris David, colium tuum, quae aedificata est cum propugnaculis: mille clipeis pendet ex ea. Divus Gregorius Nyssenensis (serm. 7. sup. haec verba) docet, hic sermone esse de turri illa quam expulsio Iebusaeo Ierosolymis ad hostium adventum praevidebant pro defensione oppidi rex David oppidum, et scientia rei militaris polens in monte Sion extruxerat. Clipeis autem turrim illam esse refertam salis ulique notum est ad irruentium impetum propulsandum ordinari. Comparatur ergo beata Virgo turri illi davidicae, quia sicut illam pater eius David aedificavit ad hostium adventum praevidebant; ita b. Virgo praevidebat futuros maledicentium incursus, in illam irruentes, variis clipeis se praemunivit. Si peperisset non nupta, male apud omnes audisset; et ideo antequam conciperet, nubit; ne autem pareretur, ab his qui divinum mysterium agnoscebant, propter dignitatem matris Dei quonocumque apud se ipsam exaltatam fuisse, continuo post conceptum Christum ad montana festinat, ut Elisabetham visitet, et illi inserviat. Rursus ut eorum compasseret audaciam, qui dicturi erant in morte filii sui quae exanimem, et semimortuum muliebri inbecillitate prae dolore humi cecidisset; ideo consulto non iacens, sed stans, crucis patibulo affuit, ut testatur d. Ioannes: Stabat iuxta crucem Maria mater Iesu. Simili modo sciens beata Virgo, quod si purificationis legem implere contempsisset, omnes illi, qui in-

carnationis mysterium in utero eius celebratum ignorabant, graviter scandalizarent, eandemque legis divinae violatricem iudicarent, idcirco voluit aliquo non obnoxia, purificationis legi se subicere. Merito igitur divinus Sponsus turri variis clypei circumdatae eam comparavit: singulae enim actiones a nobis nuper enarratae clypei ei fuerunt, quibus ad hostium offensione se praemunit, ut inire optimo posset dicere illud Davidis: *Domine ut scuto bonae voluntatis tuae coronasti nos*: super quae verba Inognitus ait fieri in illis allusionem ad militum scuta, quae in signum victoriae, cum ex bello illi revertentur, super capita sua instar coronae gestabant; tantique faciebant Ethnici huiusmodi scuta, ut si quis militum scutum perderet, gravi poena plecteretur, alioquin minime plectendus, etiam si ense amississet; cuius eam reddebant causam, quia scutum specialis ratione totam vitam conservat, et protegit. Cum igitur beata Virgo tot sculis adversus tam diabolicos, quam huiusmodi incursum vallata esset, potiori titulo quam David inonare possit: *Domine ut scuto bonae voluntatis tuae coronasti nos*. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA VI.

*Adducimus varias figuras praesentationem Christi in templo, et oblationem eius a Matre admirantes; pariterque ostendimus per illam Christum, et Marianam reconciliationem generis humani cum Deo intendisse.*

Magnus Pater Ambrosius (*serm. de Purificat. apud Homil. Alcuin.*) tantam praesentis solemnitatis celsitudinem esse censuit, ut etiam nati- vitati non imparem iudicaret: *Si subtiliter, inquit, a fidelibus, quae sit huius diei festicitas, perpendatur, eo devotio affectu hanc celebrandam suscipit, quo dominicae natiuitatis, circumcissionis, atque apparitionis solennia sunt prosequuti*. Illus est ista sollemnitas, cuius est illa; sed nec minor ista, quam illa; haec ille. Unde sicut ad diem natiuitatis Domini pertinit illa gratiarum actio, et vox laudis (*Psal. 117. Benedictus qui venit in nomine Domini*): et ad diem apparitionis illud quod sequitur: *Deus Dominus, et illustravit nos*; sic etiam, quod subsequitur: *Constituisti diem solemnem in condensatione*: seu ut alii vertunt, *in frequentationibus, usque ad cornu altaris*, non absurde, ut arbitrator, pertinere dicemus ad diem solemni frequentia nobis celebrem, quando a matre solemnitati ad altare praesentatus est Patri. Nam et in eo quod adiungitur: *Deus meus es tu, et confitebor tibi*; *Deus meus es tu, et exaltabo te. Confitebor tibi, quoniam exaudisti me, et factus es mihi in salutem, quid tam convenienter accipiemus, quam fidem, et confessionem Simeonis, et Annae, quae et ipsa hora superveniens confitebatur Domino, et loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Israel*: bene ergo Cy-

tharocod noster monebat laetari Ierusalem, et conventum facere in die tam solemni: *Constituisti diem solemnem in frequentationibus usque ad cornu altaris*. Ego quidem non paucas in sacris eloquiis reperio huius praesentationis Christi Domini, et oblationis eius in templo imaginis, et figuras, tantum mysterium admirabiles, a quibus proinde, ut rem alius repetamus, exordium duximus. In primis ergo (*lib. 2. Paralip.*) sacra narrat Scriptura, magna sollemnitate celebratum fuisse olim praesentationem arcae in templum: *Cumque venissent cuncti seniorum Israel, portaverunt Levitae arcam, et intulerunt eam*. Non secus hodierna die Maria, et Ioseph, et qui illos comitabantur, intulerunt in templum Domini mysticam illam, atque incorruptibilem arcam humanitatem Christi Domini. Sicut autem ad sollemnitatem illam congregati sunt ecclesiastici, et saeculares, ita et ad istam conveniunt: afferunt enim Simeon ecclesiasticus, et Anna saecularis cum aliis permixtis, quibus ipsa Anna, ut tradit sacer evangelista, annunciat Christi magnalia. Et quemadmodum tunc arca in templum inducta posita fuit subter alas cherubim; similiter sacra illa arca humanitatis Christi Domini in templum adducta, posita fuit inter brachia illius sapientissimi cherubim, ac discretissimi legis doctoris Simeonis, et ipse accepit eum in ulnas suas. Deinde sicut in sollemnitate illa auditi sunt suavissimi musicorum contentum dicentium, ut ait sacer textus (*2. Paral. 5. Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in aeternum misericordia eius*; ita et nunc in Christi praesentatione divinas laudes intonarunt Simeon, et Anna. Ille cecinit: *Nunc dimittis servum tuum Domino secundum verbum tuum in pace*; haec vero, ut s. Lucas testatur (*e. 2*), *ipsa hora superveniens confitebatur Domino, et loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Israel*. Ac tandem sicut sacer textus ait, ingrediente arca in templum, impletum fuisse illud gloria Domini (*2. Paral. 5. Compleverat enim gloria Domini domum Dei*; ita Christo Domino in templo praesentato continuo illud mirabilis eius maiestate summoque fuit illustratum, et exornatum; quod praevident propheta Aggaeus (*e. 2*) dixit: *Et venit desideratus cunctis gentibus, et implebo domum istam gloria: magna erit enim gloria domus istius novissimae plusquam primae*. Equidem maior haec gloria non poterat consistere in divitiis, nec in corporea templi maiestate, non in caeremoniis, aut sacerdotum sanctitate, non denique in divinatorum vatium oraculis, nam omnia haec multo illustriora fuerunt in primo templo: unde cum hoc secundum instauraretur, senes qui aderant, et viderant primum templum Salomonis, recordati amplitudinem, et praestantiam primi, videntes pauperlatem secundum lamentabantur, et non poterant haeremus continere: sic enim ait sacer textus apud Esdras: *Seniores, qui viderant templum prius, quam fundatum esset, et hoc templum in oculis eorum, stebant voce magna: quae est igitur maior gloria huius secundi templi? certe nulla alia, quam quod Christus Dominus cum mortalibus nostrae carnis substantia in templo*

praesentatur: praesentia enim eius, et divina maiestas in corpore illo latens summa gloria, et honore templum illud illustravit. *Non enim Deus noster sicut dicitur gentium*: hos enim magna deflenda dorie, aut corinthaeo, vel mosayco artificio affabre facta gloriosiores redderant; noster autem Deus praesentia sua gloriosum reddidit templum, quod ingreditur, non ipse ab eo gloriam, et maiestatem mutat. Deinde id certe, quod magis locupletabat templum Salomonis, arca erat testamenti, virgam aaronicam, urnam mannae, et tabulas legis continens, in cuius vertice erat propitiatorium. Omnia haec excellentiori modo reperiuntur in hoc secundo templo, cum in eo introducat mystica arca beatae Virginis, portans secum filium suum, divinum propitiatorium, qui ob magnitudinem potentiae virga aaronica, ob sapientiam legislator, et tabularum conditor, ob mirificam tandem suavitate ecclesiae manna erat. Deinde in hoc etiam excelsi gloria huius secundi templi splendorem et magnificentiam primi, quod ex antiquissimis Hebraeis refert Nicolaus de Lyra (*super 3. Reg. c. 8*), quod quando Salomon magna civium comitante caetera accessit ad templum illud primum, postquam iam extractum erat, ut in eo arcam collocaret, continuo fores, nemine illas movente, ita clausae fuerunt, ut nullus adsantium intuitu percipere posset quae ingrediendum esset. Hoc prodigio tunc omnes stupefacti cooperunt preces fundere ad Deum, ut fores aperire vellet, verba illa repetens (*Psal. 131. Memento Domine David, et omnis mansuetudinis eius: etc. Si dederis somnum oculis meis, et palpebris meis dormitationem, donec inveniatur locum Domino, tabernaculum Deo Jacob*); quasi dicerent: Adimple quae Domine desiderium illud ardens, quod flagravil David, ut sacram hanc arcam in debito loco religiose collocaret. Factum est autem cum primum David nominarunt, cui facta erat reprobisio adventus Christi Domini ex virgine nascituri, ut fores templi aperirentur, et cunctis aditus patresceret. Si ergo propter solam praesentationem Christi Domini venturi, tantum honoris Deus illi templo contulit, certe dum hoc secundum templum, non umbram, sed veritate ipsam suscepit, manifestissime apparet veracissime dixisse prophetam Aggaeum: *Magna erit gloria istius domus novissimae, plusquam primae*. Unde in illo templo ad introductionem arcae fores clausae fuerunt; ad ingressum vero huius non oportuit dicere: *Attolite portas principes vestras, et introibit rex gloriae*, quia nullo repente aperitae fuerunt, et Simeon, et Anna ex summo mane in templo illum venerunt; et se ostenderunt recipere. Hinc licet obiter colligere, quod cum illud templum iam funditus fuerit eversum, apertissime ostenditur iam venisse Messiam, qui iuxta Aggaei oraculum, erat ad templum illud venturus: nam si Deus pollicitus fuerat per hunc prophetam adventum Messiae ad illud templum, et illius iam non extat lapis super lapidem, nonne insania magna Hebraeorum esset expectare Messiam? Vel dicant mihi, ad quod templum venturus est, ut impleat Aggaei vaticinium? si ad illud, nequit

fieri, cum iam sit solo aequatum; si ad aliud de novo extrudum, mendacem facimur prophetam Aggaeum, qui apertissimis verbis dixit Messiam venturum in illud templum, quod tunc Ierosolymis construebatur. Unde et adiecit: *Magna erit gloria domus istius novissimae; non autem esset novissima, si domus alia fuerat postea aedificanda*.

Exat insuper in sacris literis singularis historia, quae mirabile hoc praesentationis Christi in templo mysterium non obscure delineat, licet pauci praesentis instituto illam apert. (*L. 1. Regum 21*) legitur: *Venit David ad Achis regem Geth, dixeruntque servi Achis ad eum, cum vidisset David: Nunquid non iste David rex terrae? nonne hic cantabat per choros dicentes: Percussit Saul mille, et David decem milia? Posuit autem David sermones istos in corde suo, et immutavit os suum coram Achis, et collabebatur inter manus eorum, et impingebat in ostia portae, defebantque salicae eius in barbani. Et ait Achis ad servos suos: Vidistis hominem insanum? quare adducistis eum ad me? Divus Thomas (*2. 2. quaest. 3. art. 1 ad secundum*), facit hanc commutationem faciei, sive vultus David coram Achis fuisse figurativum mysterii: hoc autem mysterium licet apte intelligi possit, quando indatus veste alba congrua fuit ab Herode; mihi tamen videtur congrua satis figura, atque umbra eorum, quae Christus gessit in hac die delatus in templum, et Patri suo praesentatus. Quis enim est iste David pulcher aspectu, et fortis manibus, nisi coelestis hic puer, qui secundum divinitatem est imago pulcherrima Patris aeterni, et fortitudo eius maxima? Quemadmodum Paulus (*ad Hebr.*) utrumque dixit: *Figura substantiae eius, portansque omnia verba virtutis suae*; natus autem in mundo secundum carnem statim agnosci a quibusdam coepit, quod esset rex caeli, et terrae, quod adoraverunt pastores, et magi, de quo angeli canebant in choro dicentes (*Lucas 2. Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis*). Sed ne manifestius agnosceretur noster filius David, coepit commutare vultum suum coram populo Iudaeorum, formam, et similitudinem accipiens parvuli indigentis beneficio circumcissionis; et subiecti legibus, et caeremoniis illius populi, sicut et alii parvuli, qui in peccato nascuntur: propterea circumcisus est octava die, et propterea etiam hac die delatus est in templum a b. Virgine, et s. Iosepho. Hoc ergo est quod dicitur de Davide: *Et collabebatur inter manus servorum eius*. Sicut enim alia litera habet, *Et ferebatur in manibus*; ita ipse commutavit vultum magalutudinis suae, ut se ostenderet parvulum tam imbecillum, ut necesse fuisset eum portari in brachiis Mariae, et Ioseph, et in manibus Simeonis, sicut evangelium dicit: *Accipit eum Simeon in ulnas suas*. Magna profecto est commutatio ista Domini Iesu, quod fortis manibus, quae sustentat coelum, et terram, opus habet sustentari manibus debilibus Simeonis; et quod ille fortis collaborator requirit adiutorium hominum, et collaberetur inter manus servorum suorum. Possemus certe verbis Iob interrogare Iustum Simeonem, et senem, qui pue-*

rum Iesum brachiis portabat: *Cuius adiutor es? nunquid imbecillis? aut sustentas brachium eius, qui non est fortis?* Sed non dubito, quin statim responderet sanctus senex, et diceret: Sed scio non esse imbecillum hunc puerum, sed potius esse ipsam Dei fortitudinem, et brachium Domini, quod nobis revelatum est, sed modo commulatum vultum suum coram populo, fingit se debilem, exhibet se quasi stultum, ut insanum in oculis inimicorum, ut abscondat eis vultum gloriae divinitatis suae. Propterea *impingebat ad ostia portae David*, quia noster Iesus deferendus erat ad ostia portae templi alienis brachiis delatus, infirmum se ostendens, et dissimulans magnum robur fortitudinis suae. *Defluantque salivae eius in barbam*, ait sacer textus (1. Reg. 21). Divus Augustinus (*super Psal. 33 concione secunda*) dicit: Salivam significare stultitiam, et infirmitatem humanae carnis; barbam vero designare virtutem: ad hoc ergo elegit Filius Dei infirma mundi, atque ea assumpsit, ut legeret, et atque occultaret virtutem suam corpore infirmitatis suae: nam quod exterius infirmabatur, tanquam in saliva apparebat; intus autem divina virtus tanquam barba tegebatur. Quid plura? Rex Achis tanquam insanum respicit, ac proicit David; et nostrum Iesum rex Herodes, ut sanctus Lucas refert, tanquam stultum, et insanum *sperit, et illius indutum veste alba*. Alii vero, ut Marcus (c. 23) refert, etiam sui dicebant: *Quoniam in furorem versus est*. Alii autem, ut s. Ioannes (c. 10) dicit, *ex Iudaeis multi dicebant: daemonium habet, et insanit: quid eum auditis?* Sed hanc stultitiam, et insaniam similitudinem, sicut et infirmitatis, voluntarie Christus elegit, et assumpsit ad summam sapientiam suam, ut et salvos non faceret, et singulare exemplum humilitatis relinqueret nobis imitandum.

Demum praesentis mysterii praeclearam imaginem illud adumbrantem putaverim esse id, quod Iacob configit, ut sacra Genesice narrat historia. Esau frater eius propter benedictionem, quam a patre suo Iacob sibi surripuerat, ingentis odio illum prosequatur adeo, ut clam mortem eius machinaretur. Huius rei non ignarus Iacob, ut tantum fugeret malum, decessit in Mesopotamiam Syriae se conferre, ubi diutissime habitavit, desiderio tamen ad patriam patriam redeundi, tandem una cum universa sua familia, et gregibus in eam reversus est. Factus tamen certior in itinere fratrem suum Esau magna stipatum caterva adversum eum venire, timuit, et ideo fecit, ut ordinatim procederet eius familia, et universa quae habebat. Praemisit igitur pecora, deinceps sequebantur eius servi, et filii, tum Lia lippis oculis cum suis liberis: tandemque veniebat formosa Rachel cum filio suo Ioseph: ibi etiam simul aderat Iacob. Accessit itaque Esau, et neglexit pecora praecedentia, neque in ipsis contemplandis commoratus est, non curavit etiam servos vel servas, neque Liam ipsam; cum tamen accessit ad formosam Rachel cum filio Ioseph, et fratre suo Iacob, statim fratrem suum complexus est, atque cum alloquitur dicens: *Cessant iam, frater mi, quae inter nos sunt disensiones, et inimicitiae, pacem*

mutuo ineamus, et in huius rei signum munera a te accipere volo. Figuratur igitur Esau, qui erat frater maior, Patrem coelestem, et aeternum, Iacob vero ipsum hominem. Erant autem disensiones inter ipsum hominem, et Deum adeo, ut Deus indignaretur, propterea quod homo voluerit sibi benedictionem praeripere, volens esse sicut Deus. Exulabat igitur homo a Dei praesentia; sed tandem vult ad ipsum reverti, et converti: quem ut possit perfecte omnino placare, processionem quandam ordinar. Primum quidem praecedunt pecora, quibus Deo sacrificet; veram haec non fuerunt sufficientia ad eius iram placandam. Neque etiam servi, et servae fuerunt sufficientes ad id praestandum: insufficientes enim fuit ad id lex naturae cum suis patriarchis, insufficientes Lia lippis oculis cum filiis suis, hoc est, lex scripta, et Synagoga cum suis prophetis. At vero postquam accessit formosissima Rachel cum filio suo Ioseph, placatus est ipse Esau, hoc est, postquam oblatum est Christus a Matre sua Deo Patri in ipso templo hodierna die, viso tali sacrificio, et oblatione, omnis statim cessavit ira, et indignatio, complexusque est Deus ipsum hominem, et cum eo pacem inivit.

Quid plura? Sane cum in templum video Christum Dominum, et beatam Virginem ingredi, video mihi videre secundum Adamum, et secundum Hevam respondere venientes pro primo Adamo, et pro prima Hova: ipsi enim ob praevocationem divinae legis immerunt in conspectu Dei illos vocantis apparere, et ideo absconderunt se a facie Domini. Nunc ergo secundum Adamum, et secunda Heva, humilis sua obedientia inobedientiam primorum parentum compensant, et ut Deus humano generi reconcilietur, enixe deprecantur. Obtulit se Christus hodierna die aeterno Patri, ut nos in filios adoptivos suscipiat: ut enim dixit divus Paulus (*ad Galatas 4*): *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus*: quia tamen propter oblationem Filii Dei naturalis in cruce, perficienda erat adoptio filiorum Ecclesiae et fratrum Christi, idcirco ardentissimae charitatis illius excessus, ac plures habendi fratres ab infantia sitientissimum desiderium, illum impulit, ut Patri nunc sese offerret, dum aecedebat hora, qua grandior in cruce mactaretur, ut sic per ipsius oblationem antiqua lex, ab auctore suo opere ipso approbaretur et impleteret, signaque veritatis coniuncta veritate ipsa confirmaretur; nostraque reconciliatio, et adoptio in filios Dei sacro, et felicissimo exordio inchoaretur. Quod certum adeo, et indubitatum futurae suae oblationis in cruce argumentum, et pignus fuit, ut Isaias loquutus de prima, silere secundam non potuerit, sed utramque in unum copulaverit dicens (*Isaiae 33*): *Ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra silivente: non est aspectus ei, neque decor*. Ecce in prioribus verbis meminit primae huius oblationis, in qua Iesus infans singulari pulchritudine decoratus, instar pulchri virgulti, Deo Patri seditur in

templo; in ultimis vero, secundae oblationis in cruce mentionem facit, dum absque pulchritudine, et decore, non erat aspectus ei, neque decor, offerendum illum vaticinatur. Advertere tamen oportet, quod ad illam reconciliationem faciendam beata Virgo morem illum observans, quo tunc matutinum, ac vespertinum sacrificium efferebatur, nunc matutino infantiae Christi tempore, illum in templum offert ad divinam placandam iram, oblatura postea vespertino tempore eundem in ara crucis imolandum. Sed bone Deus quam dispar illa oblatio matutina ab hac vespertina; illa in infantia, haec in fine vitae; illa cum alacritate, haec cum summo moerore; illa facta in ulnis Simeonis, haec in brachiis crucis; in illa sonat canticum laudis (*Lucas 2*): *Nunc dimittis servum tuum Domine*; in ista clamor opprobrii (*Marci 15*): *Vah, qui destruis templum Dei*; illa fuit in honorifico loco templi, haec in abiectione calvariae, ubi facinorosi pleci conneverant; illa fit Christo existente inter Mariam, et Iosephum, ista, cum medius est inter duos latrones; in illa emittitur a Matre, in ista venditur a discipulo; in illa quinque siccis redimitur, in ista quinque crucientis plagis ipse nos redimit; in ista mansit viva, et superstes victima, in illa mactatur, occiditur, horrendaque subit mortem; in illa denique accenduntur luminaria, in ista sol, et luna coelestia luminaria obtenebrantur.

Ad extremum sicut olim (*cap. 8. Gen.*) legimus, quod postquam cessavit diluvium, aperuit Noe arcam, et emisit per arcae fenestram columbam, quae vespere reversa est cum ramo olivae, quae symbolum est pacis, ex quo sanctus Noe agnovit iam Dei indignationem cessasse; ita etiam vespere ipsius mundi, hoc est, in sexta et novissima aetate, beata Virgo, simplicissima, ac foecundissima columba, omni peccati felle carens, viridem ramum olivae, hoc est, infantem Iesum filium suum unigenitum ad templi arcam adducit in argumentum inite per illum pacis cum Deo. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

#### HOMILIA VII.

*Oblationem, quam beata Virgo fecit in templo, offerens aeterno Patri filium suum unigenitum, multiplici tam sacra, quam humana eruditione omnium fuisse excellentissimam commonstramus.*

Si excellentiam praesentis festivitatis attentius contemplerem, permulta quidem celebrissimam esse suaderet. Hodie enim, qui est ante saecula in sinu Patri, offertur Deo in gremio Matris. Hodie antiquissimus diem sub forma infantis recens natus apparet in templo. Hodie in brachiis portatur, qui portat omnia verbo virtutis suae. Hodie sacrificatur in terris, qui religiosa mortalium sacrificia suscepit in coelis. Hodie legislatur, quam ipse tulit legem ad unquam servat. Hodie Redemptor omnium

redimitur, et qui pretio inestimabilis est, quinque saeculorum valore emittit. Hodie versus Iacob improbi Esau vestibus, et pellicibus, hoc est humanae carnis amictu indutus, in conspectu aeterni Patris seditur, ut sibi, et posteris suis futuris ecclesiae romanae alumnis, benedictionem nanciscatur. Hodie ille, cuius immensitatem contemplantur Salomon dixit (3. Regum 8): *Ergo ne putandum est, quod vere Deus habitet super terram? Si enim coelum, et coeli coelorum te capere non possunt, quanto magis domus haec quam aedificavi? hodie, inquam, ille immensae maiestatis Deus non solum templi ambitu, sed brachiis matris suae clauditur, et comprehenditur. Hodie petra illa fundamentalis, de qua d. Paulus (1. Cor. 8) dixit: *Petra autem erat Christus*, postquam circumcisions fore fuerat facta, et elaborata, primitus iacitur ad extruendum sumptuosum hoc Ecclesiae catholicae templum. Hodie Christus Dominus ab utroque mortaliu sexu, duorum vatum, Simeonis scilicet, et Annae multis laudibus cumulat: adveniens enim in carne Dei Filius non tantum ab angelis, et prophetis, sed etiam a senioribus, et iustus testimonium laudis accipit: decebat namque ut quia omnis aetas, omnis sexus, omnis conditio per Christum erat redimenda, omnes etiam illi devoti famularentur obsequio. Hodie impletur Abrahama desiderium optantis, ut sacrificium quod Deo obtulerat, promisso sibi prosequi, Deus ipse remuneraret: sicut enim ipse filium suum unigenitum Deo obtulit; ita et Deus quicquid recompensans hoc munus, Filium suum primogenitum in publicum sui, et totius suae sobolis utilitatem in templo offerri voluit. Hodie absterguntur lacrymae Davidis clamantis (*Psal. 41*): *Fuerunt mihi lacrymae meae panes die, ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus?* Adest enim in templo, Malachia (*cap. 3*) dicente: *Statim veniet ad templum sanctum suum Dominator, quem vos quaeritis*. Hodie mystica illa sitis eiusdem Davidis desiderantis potum aquae de cisterna Bethlehem penitus extinguitur, ac sedatur, exhibitam iam coelesti illa pluvia, de qua dictum est: *Nubes pluant iustum*. Hodie Daniel propheta, qui olim lamentari solebat (*Daniel. 3*): *Non est in tempore hoc princeps, et dux, et propheta, neque holocaustum, neque sacrificium, neque incensum, neque locus primitiarum coram te, ut possimus invenire misericordiam tuam*: hodie inquam a Iacobyms se temperare potest, dum Ecclesiam catholicam concinentem audit illud Davidis (*Psal. 47*): *Suscipimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui: misericordiam certe praecedentem adeo, ut victima ipsa in templo oblata pariter sit sacerdos, et sacrificium, hostia, et incensum*. Unde merito dicere possimus (*Sap. 7*): *Omnia bona venerunt nobis pariter cum illo*. Hodie Ecclesiae catholicae impletum video votum verbis illis expressum (*Cont. 8*): *Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meae*: hoc est, ut sub infantilis carnis substantia ex uberibus matris instar aliorum infantium te pendente conspiciam, et lac doctrinae tuae sugere possim. Ita enim expocit Interpres chaldaeus dicens: *Illo**

autem tempore apparebit rex Messias in Synagoga Israel, et dicent et filii Israel: adest dum est nobiscum pro fratre, et ascendemus Ierusalem, et fugemus tecum sententias legis, quemadmodum fingit infans uerba matris suae. Hodie ut ad beatissimam Virginem sermonem meum conuertam, uelut altera Anna, mater prophetae Samuelis, primogenitum suum in domo Domini Deo obtulit coram Heli summo omnium sacerdotum: ita Deipara Maria Filium suum, omnium prophetarum summum, coram sancto sacerdote Simone, Domino in templo offert, qui cum aliquo sit sanctus sanctorum, ut ait Daniel (cap. 9), ipsi soli convenit propriissime super omnem primogenitum masculinum sanctum Deo vocari. Et sicut olim prudentissima illa Abigail Dauidem contra Nabal Carmelum virum suum ira percutit sedavit, ne conceptam de illo vindictam sumeret; id quod ipsa non aliter fecit, quam per oblationem munerum, quae illi obtulit (1. Reg. 15): *Suscipe, inquit, benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua tibi Domino meo, et da pueris, qui sequuntur te Dominum meum: quia oblatioe facta David dixit: Benedicta tu, quae prohibuisti me hodie, ne irem ad sanguinem, et ulciscerer me manu mea. Alioquin uicisti Dominus Deus Israel, qui prohibuit me ne malum facerem tibi, nisi cito uenisses in occursum mihi, non mansisset Nabal usque ad lucem maluitimam, mingens ad parietem; ita sciens beata Virgo concitatum diuinum furorem contra genus humanum, merito per Nabal praesignatum, qui interpretatur stultus, ut et ipsa Abigail dixit Dauidi (1. Reg. 2): Quoniam secundum nomen suum stultus est, et stultitia est cum eo; ut diuinam iram ipsa mitigaret, obtulit in templo, non ut illa duceres puer, et duos utres uini, et quinque arculos cecos, et quinque sata potentiae, et centum ligaturas urae passae, et ducentas massas caricarum; sed creatorem omnium istorum, per quem facta sunt omnia, et in quo sunt omnes thesauri sapientiae, et scientiae Dei; et qui cum sit fons patens in ablatione peccatoris, et menstruae, ut dixit Zacharias, omnium poterit abluere maculas, ac sordida corda purificare. Verum, ut hinc Zachariae locum illustremus, meminissem oportebit ex Herodoto (lib. 3), quod cum Darius deuicit Hircanos, Parthos, Saracenos, impeditum ne exuberantes aquae, quae ex copiosissimo quodam fonte variis montibus circumdato effluebant, in provincias illas deriuarentur; quod eo animo fecisse dicit Herodotus, ut nullis ei numeribus oblati cultores illarum regionum pristinae illam aquarum copiam qua fruebantur, ab eo emerent: nec sua illum fellit opinio, nam aquae penuria adeo habitatores illarum regionum premebat, ut coacti fuissent regem adire, et varia donorum supplicetis illi oblata desideratam aquam ab eo obtinere, quibus ipse tunc libens annuit. Non dissimili modo Deus olim contra peccatores exardescens abscondit fontem misericordiae suae diuinae, in coelo misericordia tua; et ut peccatores illa frui non possent, montibus iustitiae illam circumdedit: Veritas tua usque ad nubes: Iustitia tua sicut montes Dei. Homines autem penuria aquae huius fontis mirum in modum oppres si,*

vehementissime sitiebant clarissimam eius aquam bibere: quia tamen ut dixit Poeta: *Munera, crede mihi, placent hominesque Deosque;* hodie beatissima Virgo humano generi compatiens, in regiam aulam templi uenit ualoris munus Deo Patri obtulit, se et Filium suum illi consecrans, ut oblatione huius excellentissimi doni diuinae misericordiae fontem hominibus aperire obtineret, prout Zacharias praevidebat, ut supra dicebamus: *Ecce fons patens domui David in ablationem peccatoris, et menstruae.* Quid plura? certe Salomon dixit (Prover. 24): *Munus absconditum exstinguit iras, et domum in sinu indignationem maximam.* Nalium sane magis absconditum munus excogitari potest, quam Christus Dominus, Isia (c. 45) dicente: *Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel Saluator:* Spiritus sancti enim miri artificio factum est, ut sol diuinitatis sub obscura humanitatis nube dellesceret, et sub parvulo infantis Dei immensitas lateret, sub infirmitate fortillud, sub lacrymis risus, sub indigentia beatitudo, quae est omnium bonorum aggregatio.

Magni faciebat antiquitas, ut auctor est Plato (in Sympos. amoris), Syleni, qui sub figura horrida pulchram intus imaginem continebat. Sed cum hoc diuino Syleno non uenit ullatenus comparanda, etenim illud ad uivum depingens diuus Paulus (ad Rom. 8) ait: *Ventis in similitudinem carnis peccati.* Ecce turpem, ac deformem, quam hic mysticus Sylenus exterius proterdit figuram. Verum de illo eodem ait, quod est splendor Patris, et figura substantiae eius. Ecce pulchram, ac perbellentem huius diuini Syleni imaginem intus latentem. Vidi ego non semel tam in Hispania, quam in Italia tali perspectivae scientiae artificio elaboratas imagines, ut si a dextris illas aspiceres, dilissimum Croesum, si vero a sinistris, pauperem Lyberidem; hinc Eraelium, illinc Democritum, unum ridentes, et alium flentem; hinc pulcherrimam Lucretiam, illinc terrerrimum serpentem videres. Hoc ipsum supernaturali, ac supremo artificio factum intueor in Christo Domino, Davide in eius persona dicente (Psal. 70): *Tanquam prodigium, vel ut verlit cardinalis Ciacianus, tanquam miraculum factus sum multis.* Si enim ex una parte illum intuearis, diuinitas affluere non dubitabis: *Gloria, et diuinitas in domo eius;* ex altera vero tanta inuenies paupertate premi, ut diceret: *Fulpes fores habent, filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinat.* Ex una parte apparebit tibi moestus (Matth. 18): *Tristis est anima mea; ex altera vero laetus: Circumdediti me laetitia.* Ac tandem hodierna die oculis intuentium se obicit tanquam puer parvulus (Luc. 2): *Cum inducerent puerum Iesum parentes eius; et tamen aliunde tanta magnitudinis gigas est, ut terram tangens, simul contingat et coelum, ut dixit Salomon (Sapient. 18): Durus debellator in mediam excersentini terram prostravit, et usque ad coelum attingebat stans in terra. Ad quod respiciens diuus Bernardus dixit (serm. 28. in Cant): Senas nigrum probat, manus Esau, et vox Jacob.*

Ceterum ut Marianae oblationis in Templo

factae miram super omnia oblata munera excellentiam clare agnoscamus; uerba illa diuini Bernardi (serm. 2. de purif.) expendamus dicentis: *Hodie sistitur Creatori terrae fructus terrae sublimis: hodie placabilis, et Deo placens hostia Virginis uanibus offertur in templo.* Quibus uerbis praecipua capita mihi videtur assignasse, ex quibus arguere debemus excellentiam huius oblationis: haec enim deprehenditur ex praestantia rei oblatae, et ex bonitate offerentis, quae duo mirifice complexus est sanctus Bernardus in praecitatis uerbis. Si enim nosse cupimus excellentiam offerentis, ecce uocat beatam Virginem terram sublimem, hodie sistitur Creatori terrae fructus terrae sublimis: non contentus est uocare illam terram, sicut David (Psal. 84): *Veritas de terra orta est;* idest Christus, qui ueritas est, iuxta illud (Ioann. 14): *Ego sum uia, ueritas, et uita,* ortum habuit a Mariana terra adeo humilli, ut cum mox Dei mater futura esset, ancillam se uocavit (c. 1): *Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundum uerbum tuum.* Non, inquam, fuit contentus nuncupare illam terram, sed terram sublimem, ut sublimitatem eius significaret per montem Sinai non obscure adumbratam: nam de illo Iosephus (l. 2. de ant.) dixit: *Sinai mons est excelsus, et ad parua egregius, optimas herbas ferens, eratque opinio ibi habitare Deum; et ideo primitus ibi nemo pascerebat oves, quia pastores illuc minime ambulare praesumebant.* Haec monti appropinquans Moyses, prodigium uidit, scilicet ignem rubrum non comburentem, et eius uiriditatem, et florem nultatenus desepantem, et eius ramos fructiferos nullo incendio devastantem, quamuis flamma uelox, et uehemens nimis esset. Unde de illo igne Dominus ad Moysen locutus est: idem quoque Iosephus (3. lib.) ait: *Ascendit Moyses in Sinai, qui mons est excellentissimus in illis regionibus; et quia sermo erat Deum circa eum habitare, et erat terribilis, ideo circa radices huius montis Hebraei sua tabernacula locauerunt, et ibi Deum uidere in igne, et in nube, et ipsum personaliter loquentem audire meruerunt.* Dicitur itaque mons Sinai, mons diuinae habitationis, angelicae frequentationis, mons luminis, et inflammationis, mons pluitae, et ros, mons pascuae, et refectionis, mons sapientiae, et eruditionis, quia de illo monte Dominus Moysen, et populum instruebat, et ei legem conferrebat. Mons misericordiae, et promissionis, quia inde bona inuadita populo promittebat. Mons iustitiae, et comminationis, quia timorem insipientibus inferebat. Mons amicitiae, et confederationis, quia mediante lege populum ibidem sibi sempiterno foedere Deus uniebat. Mons munditiae, et puritatis. Mons laetitiae, et iucunditatis, quia nulli ad montem accedere poterant, nisi qui mente, et corpore mundi erant. Ibi etiam illi, qui mundi erant, Domino cum laetitia comedeant, et bibeant. Dicitur etiam mons clementiae, et pietatis, sive propitiationis, et mons sacrificii, et orationis: nam ibi Domino immolabant, ac precibus Moysi, et supplicationibus Deum sibi placatum, et propitium audiebant; haec ibi. Ex quibus omnibus illa soluta Virgini aptabo, quae huic ar-

gumento consentanea fuerint. In primis si mons ille est excelsus, nullus mons illa excelsior esse perhibetur. Magno Gregorio Papa dicente: *Mons quidem fuit beatissima Virgo Maria, quae omnem electae creaturae altitudinem electionis suae dignitatis transcendit.* Mons quippe fuit in uertice montium, quia altitudo Mariae super omnes sanctos refulsit. Quod si de monte Sinai, ait Iosephus, erat opinio ibi habitare Deum; in Maria certe non est opinio, sed fides catholica per nouem menses corporatiter habitasse, spiritaliter uero per plenitudinem gratiae ab utero Matris in aeternum, et ultra habitatibus. Quod si Iosephus ait in monte Sinai esse rubum, quem uidit Moyses ardere, et non comburi; hoc quidem prodigium altius in Maria patrum sancta confluitur Ecclesia, dum canit: *Rubus ardens incombustus, conseruatus agnovimus tuam laudabilem uirginitatem.* Quod si laudem de illo monte ait: *Mons misericordiae, et promissionis, mons amicitiae, et confederationis;* hoc idem non desideratur in Virgine, cum hodierna die tanquam misericordiae Mater filium suum unigenitum pro reconciliandis peccatoribus in sacrificium Deo Patri offerat. Et si de monte Sinai inquit, *Mons munditiae, et puritatis;* certe Bernardus ad eximiam Mariae puritatem filium offerentis commendandum dixit: *Virginis uanibus offertur in templo.* Et quidem si, ut auctor est Marcus Varro, id referente Valeriano, solitum e rat Romae, ut sacerdos non nisi alba veste indutus sacrificium offerret, quod forsitan mutaturat a magis Persis dicentibus, Deum non delectari nisi in albis uestibus. Quibus persimilia sunt uerba Ecclesiastici (c. 9): *Omni tempore sint uestimenta tua candida: a quo ritu non longe aberant Vestales uirgines, de quibus iudex Valerianus praecitato loco refert, quod ad sacrificandum accedentes albo uelamine caput operiebant; quod quia usque ad barbam appropinquabat, et subter illam extremitates eius fibula cooperiebantur, suffibulum nuncupabatur; quanto quaeso maiore animi candore, et corporis puritate credenda est summa illa sacerdotissa Maria sacrificium filii sui Deo obtulisse, ex quo non poterat eius oblatio gratisimae Deo non esse, diuo Gregorio (22. Moral. c. 12) dicente: *Omne quod datur, ex dantis animo aestimatur.* Haec enim ratione Deus (Deuter. 23.) pecuniam, vel quippiam aliud datur per scorio nolebat sibi offerri a meretrici: *Non offeres mercedem prostituti, nec pretium canis in dono Domini Dei tui, quidquid illud est, quod ueneris.* Ubi obiter observa, eodem pondere meretricem Deum meretricem, et canem, quia inhonesta foemina peior est raphido cane, immo et crudelissimo leone. Unde, ut refert Pausanias, in sepulcro cuiusdam famosae meretricis nomine Ias, Corinthii Helenam deinxerunt arietem in frusta concidentem, cuius meminit Alciatus (Emblem. 74) in carmina ista:*

Quid sculptus sibi uult Arias? quem parte Helena Uagibus appressum posteriore tenet?

Non enim secus ac immanes istae belluae,

lascivae foeminae adolescentium animos laerant, frucidant, immo et absumunt. Atque ad munditiam, quam Deus requirit in offerentibus ei munera significandam, etiam in Levitico (c. 2) praecipit oblationes infermentatas sibi offerri: *Omnis oblatio, quae offertur Domino, absque fermento sit*: hoc est, ut exponit d. Bonaventura (*Diet. salu. tit. 2. c. 7.*), absque fermento, scilicet *usurae, rapinae, immunditiae, furti, vel cuiuscunque acquisitionis inivestae*: nam sicut teste Apostolo (1. Cor. 5.), *modicum fermentum totam massam corrumpit*; ita unicum solum peccatum mortale oblationem quantumcumque ingentis quantilatis auri reddit menstruatam, et impuram, ac nullius coram Deo meriti. Cum igitur b. Virgo super omnem puram creaturam, tam coelestem quam terrestrem, puritate mentis, et corporis emiterit, non potuit non esse parie offerentis oblatio eius omnium esse excellentissima. Quod si magnitudinem rei oblaetae perpendamus, inde certe manifestas praestantiae Mariae oblationis deprehendemus: id enim, quod obtulit, fuit, ut ait divus Bernardus, *placabilis, et Deo placens hostia*: quibus verbis non obscure significavit munus, quod beata Virgo obtulit, non esse purum hominem, sed verum Deum simul: nam quatenus homo, erat hostia placens propter proximam eius participatam sanctitatem; quatenus vero Deus, placabilis erat ab eodem Christo, ut homo, in quo haec hostia omnes tam veteres, quam novas summo intervallo superat: illae enim fuerunt hostiae, quae placebant, sed non quae placebantur; in hac vero, quia in ea simul adest in unitate personae Deus et homo, placat, et placeatur: secundum humanitatem esse placens, secundum divinitatem placabilis. Atque hinc arbitrator consulto d. Lucam huius oblationis in templo historiam narratam dixisse parentes Christi tulisse illum in templum, ut *sisterent eum Domino*: non dixit, ut consecrarent illum Deo, sicut de aliis filiis (*Exodi c. 13.*) lex praecipiebat: *Quicquid habueris masculini sexus, consecrabis Domino*. Sane, ni fallor, ea propter dixisse arbitrator, ut *sisterent eum Domino*, ut hoc loquendi genere significaret adeo excellentem, ac Deo gratam esse illam quam Virgo offerrebat hostiam, ut non aliud opus esset ad placandum Deo quam illam sistere, seu constituere in oculis eius. Unde videor mihi audire beatam Virginem in oblatione huius supremi muneris aeterno Patri dicentem: *Gratissimam omnium tibi offero hostiam*: nam si pro reconciliatioe agnum postulabas, *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi*: si bovem, ecce, qui portabit iugum, et aratrum crucis: si columbam simplicem sine felle peccati, ecce, qui peccatum non facit, nec inventus est dolus in ore eius: si vaccaem rufam desiderabas, ecce humanitatem Christi, circumcissionis sanguine iam rubricatam; si tandem munus aliquod pretiosum, pulcherrimum, rarum, ac dilectissimum, ecce offero filium meum, qui cum non rapinam arbitratus sit tibi esse aequalem, necesse est munus sit pretio inaeestimabile; et cum sit splendor Patris, et figura substantiae eius, nec non speciosus prae filiis hominum, opus est pulcherrimum esse; et cum pariter sit

Deus, et homo, quo nihil mirabilius excogitari potest, nemo inficiabitur munus esse rarum, immo et phaenice rarius. Ac demum *quam Deus sit in Christo*, ut ait Paulus (*ad Ephes. 2.*), *mundum reconcilians sibi*, et, ut ipse affirmat, *Deus sit dives in misericordia*; non potest munus hoc a me tibi oblatum dilectissimum, ac locupletissimum non esse. Cedant ergo huic tanto muneri cuncta quantumvis magni valoris munera, tam Creatori, quam creaturis oblata, quorum tam sacra, quam profana meminit antiquitas. Cedat illud Vitelli Romanum imperium moderantis, qui unico convivio, ut auctor est Alex. ab Alex. lectissimorum piscium ferula duo millia, et avium septem millia praeter placentiam sexcentorum sexertiorum, et, ut explicat Plinius (l. 10. c. 5), quinque millium aereorum convivio obtulit. Cedat munus Cleopatrae, quae, ut refert Plinius, ex duobus unionibus valoris ducentorum quinquaginta millium aereorum, ut scribit Budens, unum in pulveres redactum bibendum dedit Marco Antonio. Cedat munus alterius margaritae, quam eadem Cleopatra Aegypti regina deae Veneri obtulit, tanti quidem pretii, ut tradit Macrobius, ut quantum integrum regnum aestimaretur. Cedat munus Antiochi, de quo Generadrius commemorat, obtulisse in templo pulcherrimum taurum, cuius cornu capside solido auro circumdabatur, colium pene innumeris magni pretii montibus ornatum, corpus vero totum regali purpura contextum erat. Cedat munus, quod Graeci propter parlant quandam victoriam templo Dianae Ephesinae dederunt. Cedat munus, quod Camillo, hoste suo profigato, matronae romane Apollini in Asiam miserunt; quod non potuit non esse magni valoris, cum torques, inanes, annulos, et reliqua omnia pretiosa monilia et offerrent. Cedat munus, quod Sylla propter reportatam de rege Mythridate palmam Deo Marti praesulit, pretiosum vas proprio suo sanguine plenum, quem gladius sibi feriens extraxerat ad eum mittens. Cedat munus aromatatum, quod regina Saba Salomoni donavit pretiosum adeo, ut sacer textus (3. Reg. 11) dicat: *Ingressa Ierusalem multo comitatu, et dicitis, camelis portantibus aromata, et aurum infinitum nimis, et gemmas pretiosas, venit ad regem Salomonem*. Cedat munus omnium divitiarum, quod Salomon ipse Deo obtulit ad aedificationem templi, in qua tot fecit expensas, ut nisi sacra Scriptura illas referret, incredibiles putarentur. Cedat munus omnium victimarum, quae tam lex naturae, quam scripta religioso ritu Deo contulit. Cedat munus regis Herodis, quod pollicitus fuit saltatrici filiae suae dicens (*Marci 6*): *Quicquid petieris, dabo tibi, licet dividam regni mei*. Cedat tandem munus, quod princeps tenebrarum ostendens Christo omnia regna mundi, et gloriam eorum ei obtulit: *Haec omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me*. Haec enim omnia vano, futilia, et nullius momenti munera esse nemo prudens non iudicabit, si cum inaeestimabili munere, quod beata Virgo hodierna die in templo aeterno Patri obtulit comparaverit: maxime quod Isaia (c. 4) dicente: *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum et inane reputatae sunt ei*: certe in

conspectu tanti muneris reliqua omnia munera veraciter dicere possunt illud Davidis (*Psal. 38*): *Et substantia mea tanquam nihilum ante te*. Atque hinc est, quod Christus Dominus videns omnium munus, et victimarum oblationem, quae toto tempore legis naturae, et scripturae facta fuit, insufficientem esse ad sedandam divinam iram, dixit (*Psal. 36*): *Sacrificium, et oblationem noluit; corpus autem aptasti mihi*. *Holocautum et pro peccato non postulasti*; tunc dixit: *Ecce venio*, scilicet in templum a dilectissima mea Matre oblatum, postea in cruce a crudeli Hebraeorum noverca offerendus. Hoc tantum beneficium prophetis oculis praevidentibus David cecinit (*Psal. 70*), quod et hodierna die canit Ecclesia catholica, ut supra dicebam: *Suscipimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui*: quo loco divus Bernardus (*serm. de Purif.*) docet, nomine *misericordiae* Deum carne indutum intelligi, quia Verbi divini incarnatio fuit supremum Dei misericordiae opus ad sublevandam miseriam humanam; et ideo per anomoniam nomen misericordiae meretur. Hanc igitur misericordiam ait David nos hodie recepisse. Sed numquid, David, non recepimus hanc misericordiam in medio uteri Virginis Mariae, cum in eo *Verbum caro factum est*? Numquid non recepimus misericordiam in bethlehemitica portica, cum in ea Deipara peperit filium suum unigenitum, et pannis cum involvit? Numquid non recepimus eandem misericordiam, cum in die circumcissionis sanguinem pro nobis effundere cepit? Numquid non recepimus misericordiam, cum in gremio Mariae velut in regali throno tribus regibus Magis se ostendit? Cur ergo magis David ait recepisse nos misericordiam in templo, quam in praedictis omnibus locis? Sane prophetam consulto id dixisse putaverim, quia Verbi divini incarnatio, inter alia multa, duo nobis magni momenti bona peperit. Primum est honor, per exaltationem naturae humanae, quo alius honorari, et exaltari nequibat, quam ad unionem hypostaticam in unitate personae divinae: unde gloriari potest dicens cum divo Paulo (*ad Hebr. 2*): *Nusquam angelos apprehendit, sed semen Abrahae apprehendit*. Secundum est utilitas, et commodum ex eo quod Christus Dominus se offerat Patri ad reconciliandum sibi genus humanum; quia autem haec oblatio, quae ab instanti conceptionis Christi fieri cepit, et in cruce complementum susceptura erat, hodierna die in templo fuit manifestata, ac divulgata, ideo scite David (*Psal. 47*) dixit: *Suscipimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui*. Sed adhuc Davidem quispiam interrogabit: *Quare cum Deus sit, qui munus hoc sibi oblatum suscipit, non dicit Deum, sed nos suscipere illud?* Certe Deus suscipiens Christum, qui nomine misericordiae hic significatur, ipsam misericordiam susceperat: cur ergo non dicit, *suscipit, sed suscipimus*? Respondeo, quod quia singularis haec misericordia, quia Filius Dei in carne humana pro nobis satisfecit, dependebat ex eo, quod Pater susceperet hanc eius oblationem: unde ipsam suscipere Dei fuit nobis dare, et misericordiam imperituri, idcirco non dixit *suscipit*, sed *suscipimus*.

CARTHAGENA, de B. M. V. — Vol. II.

*mus misericordiam tuam in medio templi tui*. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA VIII.

*Revensemus varias causas, propter quas Christus Dominus voluerit a Matre sua in templo praesentari, atque quia praesentationis legi non obligatus. Prosequimur tamen duas; nimirum, ut legibus etiam suis principes parere; parentes vero bonae filiorum institutioni consilere ab eo edocerentur.*

Non defuere gravissimi Patres, qui in eam abirent sententiam, ut putarent Christum Dominum in praecipuo praesentationis in templo, de quo (*Exodi 13*): *Sanctificasti michi omne, quod aperit vulvam de filiis Israel*, fuisse vere comprehensum. Cui sententiae adeo firmiter adhaerent, ut propter ipsum solum asserant institutum esse generale praecipuum, primogenitum in templo sistendi. Ita docere divus Ambrosius (*super cap. 2. Luc.*), Hieronymus (*lib. 2. cont. Iov.*), Chrysostomus (*hom. de occurrus Christi apud Sarrum*), Gregorius Nyssenus (*hom. de occurrus Christi*), Isidorus, divus Damascenus (*de Purif. b. Virg.*), Theophylactus, Enthymius, sequuti antiquissimum Origenem: qui omnes ea moventur ratione, quia lex dicebat, omne primogenitum aperiens vulvam, debere Deo offerri. Nemo autem aperit vulvam matris, nisi solus Christus: nam ceteri primogeniti aperiunt inventum ex praecedenti congressu cum viro. Unde Christus, cum absque viro operis fuerit conceptus, clausam invenit, quando natus est. Et ideo ipse solus est primogenitus vulvam matris aperiens; non quidem, quia eius integrum quoquo modo violarit, longe enim id abest a mente horum Patrum, sed hoc tantum *aperire* vocantur, quod est praevium esse, nec impedimentum transeunti Christo facere absque illa prorsus apertura. In quo sensu non semel verbum *aperire* accepit sacra Scriptura (*Marci cap. 1*) enim dicitur: *Vidit coelos apertos*; non quod in coelis apertura sit facta, sed quod de coelis vox sit audita; et Actor (c. 7) legitur: *Ecce video coelos apertos*, nimirum, quia Christum in celo existentem sine impedimento videbat. Ad eundem ergo modum hi Patres dicunt, vulvam Virginis apertam a Christo, quia sine impedimento transit per eam, non tamen, quod re ipsa aperta fuerit. In quo sensu intelligendum venit illud Isaiae (c. 45): *Aperiat terra, et germinet Salvatorem*. Patrum testimonia hanc intelligentiam adstruunt brevitas causa silentio praeteriens, unicum solum antiquissimi Amphiloehii Icomii episcopi (*hom. de Purif.*) reblabo, ubi, quo pacto illorum doctrina sit intelligenda, egregie his verbis declarat: *Quod Scriptura dicit: Omne masculinum aperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur, ad solum Dominum Iesum refertur, non alium quempiam, licet communiter*